2791 77

J. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA DE INTERPRETATIONE JURIS OBSCURI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

QVAM

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO CONSULTISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

JOHANNE REBHANIO JC.

SAC. PAL. CÆS. COM. DIVERSORUM IMP. STATUUM CONSILIARIO, COD. ET CONS. FEUD. IN UNIVERSITATE ARGENTORAT. P. P. COLLEGII JURIDICI SENIORE, ET H. T. DECANO SPECTABILI

PRÆCEPTORE SUO, CUM OBSEQUIO ET VENERATIONE PERPETUA COLENDO

SOLENNITER

EXAMINANDAM PROPONIT

JOHANNES DANIEL STALBURGER

PATRICIUS MOENOFRANCOF.

DIE V. MENS. JANUAR.

ARGENTORATI

LITERIS JOH. WILHELMI TIDEMANNI

cIↄ Iↄc LXXI.

TRIGÆ

Patruorum Honoratisſimæ

VIRIS

GENEROSIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS

DNO

JOHAN. CHRISTOPHORO STALBURGERO,

Suſceptori ex ſancto Baptiſmate,

DNO

JOHANNI HIERONYMO STALBURGERO,

DNO

PHILIPPO LUDOVICO STALBURGERO,

PATRICIIS

MOENO-FRANCOFURTENSIBUS GRAVISSIMIS

HUNC EXERCITATIONIS ACADEMICÆ LIBELLUM

PIETATIS ET OBSEQUII PERPETUI TESTEM AC SPONSOREM REVERENTER ALLEGAT

JOH. DANIEL STALBURGER.

J. N. J. C.

Diſputatio Juridica,

DE

INTERPRETATIONE JURIS OBSCURI.

I.

JUri dicendo & adminiſtrandæ Juſtitiæ nihil magis contrarium eſt, quàm Juris obſcuritas: ſive Legibus ipſis inhæreat, ſecundum quas jus dicendum eſt; ſive cauſis & negotiis, de quibus jus dicendum eſt. Nam in utrisque quod non apparet, quodque intelligi non poteſt, perinde eſt, ac ſi non eſſet. *l.* 11. §. 7. *D. de Interrog. in Iur. fac. l.* 2. *D. de his, quæ pro non ſcript. l.* 73. §. 3. *de R. I.* niſi per commodam interpretationem & manifeſtas probationes reveletur. *l.* 62. §. 1. *D. de hær. Inſt.* unde inter JCtos frequentiſſima *de interpretatione Iuris obſcuri* quæſtio eſt; & maxima pars civilium controverſiarum hinc pendet. *Delectus Argumenti.*

II. Et veteres præſertim Juris conditores præter ea, quæ paſſim ad uſum & in exemplum bonæ interpretationis tradiderunt, ſeorſim etiam, deſtinatâque operâ in id

incubuerunt, ut bene fundatam artem conſtituerent, Jus & Caſus obſcuros interpretandi. Hoc propoſito *Salvius Iulianus* librum ſingularem conſcripſerat *de Ambiguitatibus*: ex quo in Pandectas noſtras relatæ ſunt *l.* 31. *D. de Vulg. & pupill. ſubſt. l.* 62. *D. de leg.* 3. *l.* 13. *D. de rebus dub. Ælius Gallus, de verborum, quæ ad jus pertinent, ſignificatione. l.* 157. *D. de V. S.* cujus libri inſtitutum totis titulis *D. & C. de Verborum Significatione* repræſentatum eſt. *T. Cajus de Tacitis Fideicommiſſis. l.* 23. *D. de his, quæ ut indign. Iulius Paulus de Tacito Fideicommiſſo. l.* 49. *D. de Iur. Fiſci. l.* 229. *D. de V. S. Herennius* autem *Modeſtinus* libro ſingulari *de Enucleatis Caſibus* etiam caſus non obſcuros perſecutus eſt. Sicut conſtat ex *l.* 33. *D. ex quib. cauſ. maj. l.* 15. *D. de ſponſal. l.* 20. *D. qui & à quibus man. l.* 29. *D. ad L. Corn. de Falſis. l.* 19. *D. de Appell.*

III. Exemplo Veterum, & quotidiano uſu hujus argumenti, multi quoque ex recentioribus JCtis incitati ſunt, ut illi exquiſitius elaborando ſuas curas impenderent. Alii generaliter & in univerſum, ut *Raymundus de Forolivio de interpretatione*; *Conſtantinus Rogerius de interpretatione juris.* Alii per partes ſingulas; ut *Stephanus de Federicis Brixienſis, de Interpretatione Legum*; *Lanfrancus de Oriano de Interpretatione Statutorum*; *Cardinalis Mantica, de Ambiguis & Tacitis conventionibus*; *Simon de Pratis de Interpretatione ultimarum voluntatum.* Et ex cæteris quoque Commentatoribus juris Romani, vix quisquam eſt; qui non ea loca, quibus vel regulæ, vel exempla bonæ interpretationis continentur, ſingulari & præcipuo ſtudio excolenda ſibi duxerit.

IV. Quorum omnium neque induſtriam ego, ſub inſcri-

inſcriptione hujus diſſertationis, æmulor; neque munus invado. Sed ex iis, quæ ſparſim in Legibus noſtris ad diſciplinam rectæ atque legitimæ interpretationis tradita ſunt, aliqua ſaltem in argumentum colloquii Academici conducere deſtinavi. DEus huic propoſito faveat auxilio ſuo, ſuperiores benevolentia, Commilitones humanitate!

Explicatio Terminorum.

Interpretatio

V. INTERPRETATIONEM *Iſidorus lib.* 12. *orig.* notat inde dictam eſſe, *quod is, qui vices interpretis ſuſtinet, medius ſit inter partes, & alteri alterius voluntatem declaret.* Quæ notatio rationem habet: nam & antiquitus præs eſſe aliquis dicebatur, quod in judicio præſens eſſe cogebatur; ſicut *ad Feſtum, Ioſephus Scaliger* obſervat; & inde non improbabiliter defendi poteſt, interpretem dictum eſſe illum, qui præſentia ſua & interventu plurium voluntates explicando conciliaret.

VI. Eſtque iſta maximè ſimplex hujus vocis acceptio, quæ non tantum ad declarationem voluntatis obſcuræ, ſed ad nudam quoque denuntiationem, voluntatis etiam perſpicuæ, referri poteſt. Et uſum habet frequentem *tum* in publicis negotiis; cùm ii, qui ſummam poteſtatem habent, aliis ſumma poteſtate præditis per Legatos, vel ſubditis ſuis per internuntios voluntatem ſuam interpretantur: ex quo genere eſt apud *Virg.* 3. *AEn. verſ.* 356.

Interpres divum Iove miſſus ab ipſo.

tum in privatis; cum privati inter ſe, ad ineundas pactiones & contrahenda negotia, proxeneris utuntur: quos interpretes rectè dici, illud etiam argumento eſt, quòd honorarium ipſis præſtari ſolitum ἑρμηνευτικὸν, i. e. *interpretativum*, ſive *honorarium interpretis* nominatur *l.* 3. *D. de*

Proxenet. Hoc ſenſu *Aſconius Padianus interpretes* vocat eos, *per quos pallio inducitur. in Proœm. Act. in Verr. p. ed. Lugd.* 59.

VII. Præterea illa quoque interpretatio in jure noſtro frequenter occurrit, quâ jus clarum & perſpicuum quidem, ſed vel generale, vel imperfectum, laxum vel ſtrictum nimis, applicatur ad ſuas ſpecies, in melius producitur, ampliatur, reſtringitur. *Latis XII. Tabb. Legibus* inquit *Pomponius l.* 2. §. 5. *D. de orig. Iur. cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio Prudentium deſideraretur.* Non certè, quod illo tempore Leges XII. Tabb. intelligi non poſſent, ſed quia novis Caſibus indies emergentibus, jus quod XII. tabulis continebatur, non ſufficiebat; indeque deſiderabat Jurisprudentium operam, quorum interpretatione quotidie poſſet in melius produci. *d. l.* 2. §. 13. *D. de O. I. add. l.* 10. *l.* 11. *l.* 13. *D. de LL.*

VIII. Atque hinc ex uſu loquendi invaluit, ut quælibet ratio tradendi tractandique juris, generali nomine, interpretatio juris diceretur. Sed propria tamen & principalis hujus vocis ſignificatio in eo interpretandi genere ſemper ſtetit, quo Jus obſcurum clarius & apertius redditur. Hæcque eſt ea interpretatio, quam Dd. *declarativam* vocant, aut *expoſitivam*: quamque contradiſtinguunt interpretationi extenſivæ vel extendenti, & reſtrictivæ vel coarctanti: apud *Sim. de Pratis de Int. ult. vol. l.* 1. *int.* 1. *dub.* 1. Hoc ſignificatu *Interpres Nonio Marcello* appoſitè dicitur *obſcuri diſſertor. de propr. ſerm. c.* 4.

Jus. IX. JUS inquit *Paulus in l.* 11. *D. de I. & I. pluribus modis dicitur.* Ex iſtis autem modis plerique ad interpre-

ationem poſſunt referri. Nam & jus, quod ipſum fontem juſtitiæ denotat, ſive pro naturali, ſive pro gentium ure accipiatur, ſæpius non quidem in ſe, ſed tamen in reſpectu ad intellectum noſtrum obſcuratur, & inde interpretatione legis poſitivæ declarandum eſt. Juri autem Civili multò etiam frequentius obſcuritas adhæret: quæ idcircò per bonam interpretationem itidem removenda eſt. In eo quoque, quod juſtum eſt, exercendo, adminiſtrando, pronuntiando, exequendo, multoties non apparet, quid ſtatuendum ſentiendumve ſit; & hoc etiam non poteſt, niſi interpretando perſpicuum fieri. Ipſa denique docendi diſcendique juris ars, quatenus in literas & certum ſyſtema diſciplinæ atque ſcientiæ compoſita eſt, ſicut præcipuum decus à perſpicuitate accipit, ita primarium præſidium contra obſcuritatem à legitima interpretatione mutuari debet. *Nulla ars* (ſcribit *ad Trebatium Cicero. l. 7. Ep. fam. ep.* 19.) *literis ſine interprete & ſine aliqua exercitatione percipi poteſt. Non longè abieris. Num Ius Civile veſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quanquam plurimi ſunt, doctorem tamen lumenq́; deſiderant.*

V. OBSCVRVM jus dicitur uſurpatè: translatione ſumtâ ab eo, quod oculis cerni percipique non poteſt. Quo ſenſu in Legibus noſtris dicitur; *obſcurare luminibus. l.* 30. *D. de Vſufr. lumina obſcura reddere. l.* 15. *D. de Serv. Præd. urb. obſcurare ædes. l.* 9. *D. eod.* Ab hac ſignificatione, uſus & acceptio hujus vocis deducta eſt ad ea, quæ intellectui humano, vel plane non, vel non ſatis dilucidè diſtinctéque patent. Eſtque hujus translationis manifeſtum argumentum in illis: *Iuſſimus conſtitutiones tam imperfectas replere, quam nocte obſcuritatis obductas nova elimationis luce detegere: ut undique non ſolum Inſtitutionum* *Obſcurum.*

& Digeſtorum via dilucida & aperta pateat; ſed etiam Conſtitutionum noſtri Codicis plenum jubar omnibus clareat; Conſt. de Emend. Cod. Iuſtin. §. 3.

XI. De cætero JUS OBSCURUM & *Ius ambiguum, dubium, incertum, perplexum*, idem non ſunt; quanquam hæc nomina ſæpius in legibus noſtris permiſceantur inter ſe, & unum pro alio promiſcuè uſurpetur. Fit enim hoc propterea, quia obſcuritas ambiguitatem, incertitudinem, perplexitatem neceſſario ſequitur: adeò ut nihil ambiguum eſſe poſſit, quod non idem obſcurum ſit: quanquam id, quod obſcurum eſt, ſtatim etiam ambiguum eſſe, neceſſe non ſit: cum ex pluribus aliis cauſis obſcuritas oriatur. Idem etiam de perplexo, dubio, incertoque jure debet intelligi. Conf. *Card. Mantic. de Tac. & Amb. Convent. l. 1. tit. 15. n. 2. Iac. Gothofr. ad l. 9. de R. I.*

Deſcriptio. XII. Eſt itaque ex his, quæ dicta ſunt, *Interpretatio*, de qua nos hic agimus, *declaratio* ſive *expoſitio juris, quatenus obſcurum eſt. Gl. in l. 2. D. de Iur. & fact. ign.* Add. *Mant. de tac. & amb. Conv. l. 1. t. 16. n. 2. & ſeqq.*

Diviſio. XIII. Adeò ut ex quinque ſpeciebus interpretationis, quæ apud Dd. enumerantur, duæ tantum huc pertineant: *Declarativa*, quæ verborum ſignificationem ab obſcuritate liberat; & *Intellectiva* quæ neglecta verborum ſubtilitate, ex idoneis rationibus mentem detegit & voluntatem. Nam *correctiva* & *reſtrictiva* & *extenſiva* interpretatio non aptatur juri, quatenus obſcurum eſt, ſed quatenus vel imperfectum, vel laxum, vel ſtrictum nimis eſt. *C. I. A. l. 1. t. 3. th. 10. Mantic. d. 1. 16. n. 7. & ſeqq. Bernh. Suthols. diſſ. 1. §. 6. & ſeqq.* Sunt & aliæ diviſiones interpre-

ationis, partim ab ejus materia, partim à cauſa efficiente deſumtæ: quæ quales ſint, ſuis locis inferius proponemus.

XIV. Quod ad MATERIAM interpretationi noſtræ convenientem attinet, ut ea rectè diſtinctèque tradi poſſit, tria inprimis neceſſaria ſunt. I. Ut illud, ad quod interpretatio aptanda eſt, revera ſit, & ſecundum naturam ſui generis extet; cùm de iis, quæ non ſunt, etiam in legali æſtimatione nihil dici ſtatuique poſſit. *l.* 1. *D. de hær. & act. vendit. l.* 4. *§. ult. D. de act. Emt.* Ut adeò, cum veteres JCti paſſim id ſe profitentur interpretari, quod *non apparet*; verba illorum non ſint captanda, neque trahenda in intellectum negativum, ſecundum quem etiam ea, quæ non ſunt, neceſſe eſt, non apparere: ſed ſecundum uſum & principia rectæ rationis accipi debeant, ita ut privationem denotare intelligantur; quæ ſemper in Civilibus quoque cauſis habitum præſupponit. §. 4. *Inſt. de Cap. dim. l.* 116. *& ibi Bart. D. de V. O. l.* 96. *pr. D. de cond. & demonſtr. Everhard. in Top. Legal. loc.* 26. *n.* 5.

Cauſa materialis: ubi Interpretatio locum habeat.

XV. SECUNDO ut interpretationi locus ſit, neceſſe eſt, non præſumtam neque imaginariam, ſed veram obſcuritatem præcedere; ſine qua omnis dubitatio, voluntatis quæſtio, certioratio, declaratio non tantum ſuperflua, ſed inepta penitus & ridicula eſt. *l.* 25. *§.* 1. *D. de leg.* 3. *l.* 1. *§.* 1. *D. de Act. Emt. l.* 1. *§.* 8. *D. de dot. præleg. l.* 137. *§.* 2. *D. de V. O.* Et ex hac ratione *Iubentius Celſus, Domitio Labeoni*, de jure certo atque perſpicuo conſulenti reſpondit: *Aut non intelligo, quid ſit, de quo me conſulueris, aut valdè ſtulta eſt conſultatio tua: plus enim quam ridiculum eſt, dubitare, an aliquis jure teſtis adhibitus ſit, quoniam idem & tabulas teſtamenti ſcripſerit. l.* 27. *D. Qui teſt. fac. poſſ.* Pertinetque

tinetque huc quod *Baldus* frequenter ſolebat dicere: *ubi clarum habemus textum, quid opus eſt Gloſſa?*

XVI. TERTIO. Debet tamen hæc obſcuritas ita comparata eſſe, ut adhibitis artibus rectæ interpretationis, legitimo aliquo modo ſuperari exponique poſſit: nam in cæteris, quæ adeò perplexa ſunt, ut humano intellectui nullam diſcernendi facultatem relinquant; quæque idcirco ab ipſis legibus inter deſperata rejiciuntur, fruſtra ſuam curam operamque interpres conſumſerit. Qualia exempla obvia ſunt in *l.* 30. *D. de teſt. tut. l.* 10. *§. ult. D. de Vulg. & pupill. ſubſt. l.* 16. *D. de condit. Inſt.*

XVII. Atque his generaliter ita conſtitutis, interpretatio ipſa juris obſcuri, in reſpectu ad materiam ſibi ſubjectam objectamque, duobus modis potiſſimum conſiderari poteſt. *Uno* modo, quatenus intellectum humanum juri aptat: *altero*, quatenus jus, intellectui humano aptat. Prout ſcilicet jus, vel vitio intellectus noſtri, vel vitio ſuo proprio obſcurum eſt. Et intellectus quidem humanus variis ex cauſis, etiam in rebus apertis, hallucinari poteſt. *l.* 28. *§.* 5. *D. de Iudic. l.* 7. *§.* 1. *D. de contrah. Emt. §.* 6. *Inſt. de V. O. Sive* quod externorum aut internorum ſenſuum miniſteria deficiunt, per quæ res intellectui inſinuari debebant: Atque ita ſurdis fruſtra quis legem verbis ore prolatis, vel cœcis per ſcripturam, vel iis, qui linguæ alicujus imperiti ſunt, in ea lingua promulgaverit; niſi eam verus interpres, ad uniuscujusque, ex iſtis perſonis, captum & intellectum deducat. *v. l.* 1. *§. ult. l.* 48. *D. de O. & A. l.* 1. *§.* 6. *D. de V. O. Sive* quod ipſe intellectus in ſe non bene conſtitutus & diſpoſitus eſt ad percipienda ea, quæ aguntur, ut in impuberibus, ſed qui fari tamen poſſunt.

l. 9. *D. de*

9. D. de Acq. vel om. hæred. l. 1. §. 13. *D. de O. & A. l.* 5. *de R. I.*

XVIII. Hoc enim loco ante omnia requiritur, ut ſ, quibus res per interpretationem aperiuntur, illorum ediorum, per quæ interpres clariores res reddit, aliqua ione capaces ſint. Apud eos quippe, qui actum rei nee ſentiunt ullo modo, neque intelligere poſſunt, nullus pereſt interpretationi uſus: quales ſunt furioſi & mente pti, *l.* 14. *D. de off. Præſ. l.* 8. §. 2 *D. de opt. leg. qui per omnia in omnibus loco abſentium habentur. l.* 2. §. 3. *D. de Iur. Coill. l.* 9. *D. de Re jud. l.* 5. *l.* 124. §. 1. *de R. I.* Item infans, amdiu in eo ſtatu eſt: cujus æque ac furioſi nullus ſeneſt. *l.* 32. §. 2. *D. de Acq. vel Am. poſſ. l.* 60. *D. de Rei vind.* *D. ad L. Corn. de Sicar.*

XIX. In ſe & ſuo proprio vitio, ſolum jus humanum curum eſſe poteſt. Jus enim, quod divina providenconſtitutum eſt, ſive naturale illud ſit, ſive poſitivum, rum ſemper & apertum eſt; licet intellectus noſter ca illud frequenter admodum cœcutiat & labatur: arg. §. 5. *in fin. D. de Iudic. l.* 2. §. 18. *C. de Vet. Iure Enucl.* Neque iure Gentium, quod primævum Dd: vocant, aliter ſendum eſt. Utpote quod eadem ratio naturalis incorta, à qua inter omnes gentes peræque cuſtodiendum ſtituitur, evidens quoque & perſpicuum facit. *Natura m, nullo docente, profecta ab iis, quorum ex prima & inta intelligentia, genera cognovit, confirmat ipſa per ſe raem & perficit. Cic.* 1. *de Legib.* 9. Sed in nobis tanta eſt llectus imbecillitas, *tantaq́;* præſertim *corruptela maonſuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à ra dati, exorianturq́; & confirmentur vitia contraria:*

B ſicut

ſicut porrò differit *Cicero libr. eod. cap.* 12. *add. eund. Tuſc. quæſt.* III. I.

XX. Itaque circa Jus gentium ſecundarium, & circa jus, quod unaquæque civitas ſibi ipſi conſtituit, laborandum eſt, cum de obſcuritate Juri detrahenda tractatur. Eſt autem utrumque jus hoc, obſcurum atque interpretationis indigum, *aut* in ſua diſpoſitione, *aut* propter factum, de quo diſponit, & cui applicandum eſt. Et interpretatio quidem facti obſcuri adeò prætermitti non poteſt, cum de interpretatione juris tractatur, ut ab ea plerumque tota juris & interpretatiò & diſpoſitio pendeat, *l.* 32. *§.* 1. *D. ad L. Aquil.* unde etiam in ordine juſtitiæ adminiſtrandæ, priori ſemper loco facti cognitionem accuratam conſtituere convenit. Non quod ſub jure factum, vel hoc ſub illo contineatur; ſed quia jus adhæret & applicatur facto: Propter quam rationem etiam ordinarium eſt veteribus JCtis, *ſecundum ea, quæ proponebantur* reſpondere, & conſultationes ſuas diligenti inquiſitione & explicatione ejus, quod *ex facto* & *facti ſpecie* tractari poterat, præmunire. *Steriles juris ſunt*, inquit *Cujacius in præfat. ad recit. in Scævol. qui non explanant facta, de quibus agitur, latè atque perſpicuè; quiq; ea non ex omni parte excutiunt: cognito enim facto, perito homini jus in facili & proclivi eſt.* quo loco prolixius etiam commendat *Scævola* exemplum, *quem in eo* tradit *potiſſimum eruditionis & prudentiæ argumentum præbuiſſe, quod multus eſſet & diffuſus valde in enarrandis propoſitionibus ſeu factis, de quibus conſulebatur.* Jus itaque principaliter, factum autem propter jus interpretandum eſt.

XXI. Tam autem juris diſpoſitio, quam conceptio factorum

torum *alia* expreſſa eſt, *alia* tacita. *Expreſſa* eſt, quæ dis-
nentis voluntatem per ſigna externa directò promulga-
n continet. *Tacita*, quæ plerumque quidem etiam ex
nis externis, ſed per conſequentiam colligitur. Sicut
uſu Gentium, colligitur Jus Gentium ſecundarium §. 2.
ſt. de I. N. G. & C. Grot. de I. B. & P. I. 1. 14. ex tacito con-
nſu populi, conſuetudo: *l.* 32. §. 1. *& ll. ſeqq. D. de Legibus.*
cta tacita ex facto quolibet alio, ex quo animus & vo-
ntas paciſcendi elicitur: ut ſi debitori meo reddiderim
utionem, videtur inter nos conveniſſe, ne peterem. *l.* 2.
& §. 1. *D. de Pact.* & quæ ſunt alia pactorum tacitorum
empla in *l.* 3. 4. *l.* 27. §. 9. *l.* 57. *D. de Pact.* atque alibi paſ-
n; de quibus vid. *C. l. A. ll.* 14. 15. *& ſeqq.*

XXII. Signa externa, quibus voluntas directò ex-
imitur, ſunt vocabula nominaque, & ex his conſtans ora-
o; vel demonſtrationes quævis aliæ. Nam licet nomi-
quidem rerum atque hominum ſignificandorum gra-
reperta ſint §. 29. *I. de Leg. l.* 7. §. 2. *D. de ſupel. leg.* inter-
m tamen etiam alia quævis demonſtratio vice nominis
ngitur. *Nam & Pedius libro primo de ſtipulationibus, nihil
ferre ait, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur,
vocabulis quibuſdam demonſtretur: quatenus mutua vice
ngantur, quæ tantundem præſtent. L.* 6. *D. de Reb. Cred.*

XXIII. Oratio & vocabula conſtant PRIMO *vel*
terno vocum ſono, ſi linguâ pronuntientur *l.* 38. *D. de
& A.* qui niſi plane ſit ἄναρθρος & inarticulatus, ut *Celſus*
oquitur in *l.* 7. *in fin. D. de ſupell. leg.* non debet ei inter-
etatio denegari. Nam & is, qui difficulter loquitur, pro
oquente haberi debet: ad exemplum ejus, qui tardius au-
t, quem pro audiente haberi debere conſtitutum eſt §. 7.

 I. de in-

l. de inutil. ſtipul. l. 1. §. 15. *D. de O. & A.* quod multo magis propter favorem ultimarum voluntatum ſtatuendum eſt in iis, quorum ſeminecis & balbutiens lingua, non ſatis intelligibilibus verbis, ſupremum & nunquam rediturum arbitrium profundit. *l.* 15. *C. de teſtam.* exemplum vid. in *l.* 54. *pr. D. de Manumiſſ. teſtam. vel* figura literarum, ſi ſcribantur *d. l.* 38. *D. de O. & A.* in quibus non raro obſcuritas eſt: ſi quid non claris literis propoſitum ſit *l.* 11. §. 3. *D. de Inſt. Act.* Si quid per ſiglorum ſive notarum obſcuritates & per compendioſa ænigmata, neglectâ literarum conſequentiâ fuerit conſcriptum. *l.* 1. §. 13. *l.* 2. §. 22. *l.* 3. §. 22. *C. de V. I. E. Nov.* 73. *c.* 6. ſi librarius in tranſcribendis verbis erraverit. *l.* 92. *de R. I. l.* 24. *C. de Teſtam.* ſi ſcriptura lituris, inductionibus, ſuperinductionibus, vel quolibet alio modo ita cancellata fuerit, ut oculis perſpici non bene poſſit. *l.* 1. *& ſeqq. D. de his quæ in teſt. delentur. l.* 1. *D. ſi tabb. teſt. ext.* Si ſcriptura vel ab initio incuria ſcribentis, vel poſtmodum temporis vitio mutilata ſit. *l.* 67. §. 9. *l.* 77. §. 22. *D. de leg.* 2. *l.* 7. *C. de Teſtam.* interdum lectio quantumvis ſana & recta, quod ad voces attinet, ſola interpunctione laborat. Exemplum memorabile vid. *in l.* 3. *D. de off. Prætor. ap. Iac. Gothofr. in diſſ. ad iſtam legem.*

XXIV. SECUNDO conſtat oratio interno vocum ſenſu, quem exprimunt vocabula; & cujus in interpretando jure potiſſima debet ratio haberi. *d. l.* 38. *D. de O. & A. l.* 17. *D. de LL. l.* 13. §. 2. *D. de Excuſ. l.* 69. §. 1. *D. de leg.* 3. *l.* 18. §. 3. *D. de inſtr. & inſtr. leg. l.* 7. §. 2. *D. de ſup. leg. l.* 16. §. 1. *D. de V. S. l.* 3. *C. de lib. præt.* Ex his nata eſt Dd. diſtinctio inter interpretationem *verborum*, & interpretationem *mentis*, quam nonnulli ita explicant, ut interpretationem verborum quidem ſolam pro declarativa habeant; mentis verò interpre-

ıterpretationem referant, vel ad reſtrictivam interpreta-
onem, vel ad extenſivam : Quod ſuo modo, certoque
ſpectu verum eſt. Quoties enim jus vel extenditur, vel
ſtringitur, toties id ex præſumta mente atque voluntate
s condentis fieri debere certiſſimũ eſt. Sed econtra tamen
pius mentem loquentium, aut ſcribentium interpreta-
ur, cum neque reſtringimus eam, neque extendimus
tra id, quod loquentes aut ſcribentes, primaria intentio-
directò ſibi propoſitum habent. Et eſt utique omnis
ec interpretatio pro interpretatione mentis habenda,
æ deſtinationem & intentionem hominum, ex propria
l impropria ſignificatione verborum, ex uſu publico vel
ivato, ex affectione dicentis, ex circumſtantiis aliis ex-
cat atque declarat: quæ autem mentem jam declaratam
l in ſe claram reſtringit, limitat, extendit, illa exinde re-
ctiva vel extenſiva eſt. Ut adeò omnis quidem inter-
tatio reſtrictiva vel extenſiva, mentis ſit; non autem
nis interpretatio mentis, reſtrictiva vel extenſiva ſit: ſunt
m hæc à ſe invicem non objecto, ſed forma & modo in-
pretandi diſcriminata. Vid. *Bald. in l. 3. C. de lib. præt. Steph.*
Feder. de interp. LL. part. 1. *n.* 6. *&* 7. *cum ſeqq. Mantic. de*
. & Amb. Convent. l. 1. *tit.* 16. *n.* 7. 12. 13. 17. *& ſeqq. & lib.* 2.
4. *n.* 2. *& ſeqq.*

XXV. Senſus autem ſermonis, interpretatione opus
et, *interdum* propter obſcuritatem ſingulorum verbo-
; *interdum* propter obſcuritatem, quæ provenit ex to-
orationis contextu. Verba obſcura ſunt, ſi ſint ab uſu
onſuetudine loquendi præſenti remota; ut puta ſi ve-
ate temporis antiquata ſint & obſoleta. Quæ in lo-
ndo quidem ſcribendoque maximè vitanda ſunt, ut
tores præcipiunt: notitia tamen illorum & interpre-
neceſſaria eſt, in illis, quæ cum aliquando clara &

 uſitata

uſitata fuiſſent, poſtmodum multorum annorum lapſu obliterantur, ita ut deinceps non multum ab ænigmate diſcrepent *l. un. C. de Nud. Iur. Quir. toll.* Præclara eſt de his diſſertatio ap. *Gellium N. A. XX. I. Sexti Cæcilÿ, qui in diſciplina juris atque legibus Populi Romani noſcendis interpretandisque, ſcientia, uſu, authoritateque illuſtri fuit*, & cujus idcirco frequens etiam in jure noſtro mentio eſt. *l. 1. D. quand. de pec. act. ann. l. 14. D. de AEdil. Ed. l. 2 l. 64. D. de Iur. dot. l. 3. §. 9. D. de pen. leg. l. 71. pr. D. de Cond. & Demonſtr. l. 13. §. 1. D. ad l. Iul. de adult. Obſcuritates Legum. XII. tabb.* (inquit ille) *non aſſignemus culpæ ſcribentium, ſed inſcitiæ non aſſequentium: quanquam is quoque ipſi, qui quæ ſcripta ſunt, minus percipiunt, culpa vacant. Nam longa ætas verba atque mores veteres obliteravit, quibus verbis moribusque ſententia legum comprehenſa eſt.* Atque hoc non tantum XII. tabulis & cæteris Romanorum legibus olim evenit; Sed hodienum aliorum quoque populorum & Germanorum præſertim Conſtitutionibus, quæ ex Antiquitate nobis conſervatæ ſunt, accidit. Nam harum obſcuritas ferè omnis adſcribi debet vocabulis priſcis & per temporis diuturnitatem noſtræ cognitioni ſubtractis. Quorum infinita copia occurrit tum in legibus ipſis, tam latino quam Germanico ſermone conſcriptis; tum in Gloſſariis, annotationibus, indicibus *Lindenbrogÿ*, *Goldaſti*, *Freheri*, aliorumque.

XVI. Neque minus involutus vocabulorum intellectus eſt, ſi vocabula noviter confícta ſint: cum *non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri ſoleant. l. 7. §. 2. D. de ſupell. leg.* ſi peregrina ſint; qualia in legibus quidem noſtris aliquoties, ſed ſemper tamen cum interpretatione congruâ, occurrunt. Ex quo genere ſunt: *Scopeliſmus*, in *l. 9. D. de Extraord. Crim.* & *chomata* in *l. 10.*

eod.

od. ſi abuſive uſurpata, & in ſenſum improprium detorta,
uod ſæpè fit ab imperitis *l.* 69. *§.* 1. *D. de leg.* 3. *l.* 3. *§* 5. *D. de*
pel. leg. Et præſertim ſi verba ambigua ſint, atque ita
omparata, ut *duas vel plures res ſignificent. l.* 67. *de R. I. Sive*
ſa vis vocis ad plures res æqualiter pertineat; ſicut vox
eneris pertinet ad omnes ſpecies ſibi ſubjectas. *l.* 66. *§* 3. *D.*
e leg. 2. unde legato generaliter relicto veluti hominis, an-
equam certus homo electus ſit, dubium & obſcurum eſt,
uis debeatur. *l.* 108. *§.* 2. *D. de leg.* 1. idem quoque obtinet in
s, quæ iisdem nominibus notantur: ut *ſi quis plures Stichos*
bens, Stichum legaverit, ex verbis hujus legati non poteſt
pparere, de quo ſenſerit teſtator. *l.* 32. *§.* 1. *D. de leg.* 1. *Sive*
ropria vocis ſignificatio ad ſenſum figuratum ſit trans-
ta; ita ut eadem vox aliter proprié accipiatur, aliter
anslatè. Unde *ſi bibliothecam quis legaverit, quærendi oc-*
ſio eſt, utrum armarium ſolum vel armaria, an verò libri
roque contineantur? Nam locum in quo libri collocati ſunt,
legato ſignificari notum eſt, propriâ vocis ſignificatione;
uti dicimus: eboream bibliothecam emit; & libros, ſicut iti-
m dicimus, aliquem, bibliothecam emiſſe. l. 52. *§.* 7. *D. de leg.* 3.
tque hæc obſcuritas ex ambiguitate, maximè frequenter
mixta in omni loquendi conſuetudine; cum *plures ſint*
s, quàm vocabula, l. 4. *D. de præſcr. verb.* & hinc ſit *ingens*
pia rerum ſine nomine, quas non propriis appellationibus nota-
us, ſed alienis commodatisq́: inquit *Senec.* 2. *de benef.* 34.
d. *Quintil.* 7. *Inſt. or.* 9. Exploſa eſt enim pridem *Diodori*
ntentia; qui apud *Gellium* 11, *N. A.* 12. contra *Chryſippum*
fendebat: *Nullum verbum ambiguum eſſe*: Nam licet in-
ntio & ſententia ejus, qui ambiguè loquitur, non poſſit
i ſimplex eſſe. *l.* 3. *D. de reb. dub. l.* 125. *D. de V. S.* nihil ta-
en impedit; præter intentionem loquentium, aliam
nificationem verbis, ex conſuetudine loquendi aliorum,
adhære-

adhærere. Sanior ratio eſt quâ utitur *ſcriptor ad Herennium* contra eos, qui nimias ſubtilitates conſectati, omnia ad ambiguitates revocabant. *Rhet. l.* 2. *c.* 11.

XXVII. In verbis conjunctis & contextu ſermonis, illud etiam potiſſimum & uſu frequentiſſimum dubitationis genus eſt, quod ex ambiguitate oritur, cùm orationis etiam ex verbis ſimplicibus conſtantis, intellectus tamen in plures ſenſus trahi poteſt: ut in illis: *Paterfamilias, cum filium hæredem faceret, vaſorum argenteorum centum pondo uxori ſuæ ſic legavit: Hæres meus uxori meæ vaſorum argenteorum pondo centum, quæ volet, dato. Poſt mortem ejus vaſa magnifica & pretioſè cælata petit à filio mater: ille ſe, quæ ipſe vellet, debere dicit. Cic. de Invent.* 2, 40. *Auth. libr. ad Herenn.* 1, 11. *Quintil. Inſt. orat.* 7, 9. quo loco & aliæ ſpecies ambiguitatis ad hoc genus pertinentis referuntur. conf. *l.* 67. *de R. I.* Aliquando tamen contextus verborum dubius & obſcurus eſt, non propter ambiguitatem, ſed quia *vel* in brevitatem nimiam coarctatus eſt, omiſſis, quæ ad abſolvendum ſenſum omninò pertinebant. *l.* 106. *D. de leg.* 1. *l.* 67. *§.* 9. *D. de leg.* 2. *l.* 10. *C. de fideicommiſſ. vel* abundantibus & ſuperfluis verbis gravatus & involutus: quæ licet ipſius rei veritatem & ſubſtantiam non immutent neque vitient, verborum tamen intellectum reddunt intricatiorem, & voluntatis quæſtionem inducunt. *l.* 32. *§.* 6. *D. de Aur. & Arg. leg. l.* 12. *§.* 46. *D. de Inſtr. & Inſtr. leg. l.* 9. *pr. D. de ſup. leg. l.* 94. *de R. I.* conf. *l.* 1. *§.* 7. *D. de AEdil. Ed. l.* 56. *pr. D. Mand. l.* 65. *pr. D. de V. O. l.* 81. *D. de R. I. l.* 17. *C. de teſtam. l.* 37. *C. de don.*

XXVIII. Nonnunquam denique ſermo in ſe clarus,

s, ab accidente extrinſecus adveniente obſcurus fit, ut perplexis, quorum unius intellectus per concurſum terius impeditur. vid. *l. 88. pr. D. Ad L. Falc. l. 16. D. Cond. Inſt. l. 36. pr. D. de leg.* 1. *l. 9. D. de V. O.* In contrariis, ioties inter ſe vel duæ orationes, vel oratio & demonſtra- o quævis alia pugnant. v. *l. 188. de R. I. l. 13. §. 3. D. de Reb. b. l. 24. §. 3. D. de leg.* 1. *l. 14. C. de fide inſtr. l. 5. C. de bon. quæ* . add. *l. 1. §. 8. l. 2. §. 15. l. 3. §. 15. C. de V. I. E.* & conf. omni- o *Quintil. in Inſt. orat. l. 7. c. 7.* In univerſum hanc totam ſtributionem cauſarum, unde obſcuritas oritur, paulò iter referentes vid. *Cic. de invent. Rhet. l. 2. c. 40. Script. ad erenn. l* 1. *c.* 11. *Card. Mantic. de tacit. & amb. convent. l.* 1. 15. *Steph. de Feder. de interpr. legum p.* 3. *n.* 1. *&* 2. *Iacob. Go- ofr. ad l. 9. de R. I.* Alii inter obſcuritatis cauſas etiam rſpicuitatem nimiam & proprietatem verborum recen- nt. Sed hæc ad rerum vitia non pertinet. Veriſſimum cætero eſt B. noſtri *Dannhaueri* judicium: Qui *non aliam uſam eſſe* putat, *ob quam corpus Iuris non ab omnibus illicò, m legitur, intelligitur, quam quia noſtri homines plerumque ueti ſunt ad vulgarem illam & quotidiè occurrentem Latini- tem, proprietates linguæ latinæ, phraſes & idiotiſmos cla- ſſimos non percipiunt. Id. bon. interpr. part.* 1. *Sect.* 2. *art.* 4. 30. Hocque judicium ſequitur & laudat nominatim *Ma- ificus Senior & Anteceſſor Dn. Rebhanius, Præſes & Præceptor ſter Venerandus, in Dedic. Hodog. p.* 7.

XXIX. Quod ad originem remotiorem & cauſam, ita dicam, efficientem obſcuritatis attinet, leges noſtræ *lum* & *culpam* notant obſcurè loquentis: culpæ, ſicut ibi, ita hic quoque *imperitiam* accenſentes. *Dolus* argui- r manifeſtò in *l. 43. §. fin. D. de contr. Emt. Culpa* in *l. 39. de pact. l. 21. D. de contr. Emt. l. 99. pr. D. de V. O. Imperitia*

C in *l.* 3.

in *l* 3. §. 5. *D. de ſuppell. leg.* add. *l.* 132. *de R. I.* Cum dolo privatorum conferri poſſunt tyrannica propoſita illorum, qui inter artes improbæ dominationis obſcuram legum promulgationem habent: Sicut *Caligula Cæſar, ne decreſceret numerus commiſſorum, quæ fiebant contra vectigalia neque indicta, neque propoſita, flagitante populo Romano, propoſuit quidem legem, ſed & minutiſſimis literis & anguſtiſſimo loco, ut ne cui deſcribere liceret:* annotante *Suet. in Cal. cap.* 41. reliqua propoſita illorum, qui obſcurè loquuntur vel ſcribunt, ſicut extra legum animadverſionem quidem ſunt, ita non ſemper ſunt extra reprehenſionem doctorum: videatur de iis memorabilis diſtinctio *Ciceronis. l.* 2. *de finibus. c.* 5. cui add. graviſſimum judicium *Quintil. inſt. or. l.* 8. *c.* 2.

XXX. Atque hinc jam deſcendens obſcuritas in omnia negotia Civilia diffunditur; unde in omnibus etiam interpretatio locum habet: ſive illa ſingillatim conſiderentur, ſive quatenus in corpus ſcientiæ & diſciplinæ conjuncta atque compoſita ſunt. Sicut ex ſpeciminibus jam ſubjiciendis, ſubinde apparebit. Nam hactenus quidem ſimplices obſcuritatis cauſas indagaſſe, non poteſt fortaſſe ſuperfluus labor videri. Sicut enim morborum cauſas noviſſe, pars medelæ eſt; ita obſcuritatis cauſas indagaſſe, pars interpretationis haberi debet.

Cauſa Formalis. Quomodo Interpretatio fieri debeat.

XXXI. FORMA interpretationis in duobus conſiſtit. I. Vt illorum quæ interpretatione indigent, verus ſenſus inveſtigetur, diſcernaturque à ſenſu vitioſo. II. Vt verus ſenſus inveſtigatus, clarè explanateque proponatur atque inſinuetur intellectui. In inveſtigando vero ſenſu, tria neceſſaria ſunt: 1. *Fontes* unde verus ſenſus erui poſſit. 2. *Media*, per quæ eruatur. 3. *Modus*, quo debet erui. *Fons* generalis

eneralis omnis interpretationis, ex quo ſenſus dictorum
ctorumque eruendus eſt, conſtitui poteſt in dicentium
acientiumque voluntate. Vnde & apud JCtos noſtros,
& apud Rhetores, omnis quæ ex ſcripto vel facto oritur du-
bitatio, paſſim refertur ad *quæſtionem voluntatis*. Voluntas
autem hæc per ſe, ſicut quilibet actus interni, in civili &
legali æſtimatione ſpectari non poteſt. *Weſemb. parat. D. de Iuſt. & Iur. n.* 4. arg. *l.* 18. *D. de pœn.* à quo perperam diſſen-
tit *Hahnius in annot. ad. d. loc.* Itaque ſpectatur in *ſignis ex-
ternis*, per quæ voluntas deducitur in notitiam aliorum.
Signa hæc *alia* ſunt primaria & ordinaria, ut ſunt verba &
verbis æquipollentes demonſtrationes: *alia* ſecundaria &
in ſubſidium comparata; ut ſunt conjecturæ voluntatis
aliunde petitæ.

XXXII. Verborum itaque in omni interpretatione prior cura eſt habenda. Sed horum uſus vix ullus eſſe poteſt, niſi removeantur impedimenta, quæ percipiendis verbis, extrinſecus obſtant. Qualia ſuperius diximus eſſe ea, quæ externum vel verborum ſonum, vel figuram ſcripturæ vitiant: adverſus quæ non aliunde, quàm ex accuratâ & ſolidâ, veræque diſcretionis & judicii laude commendata Criſi remedium expectari poteſt. Vſum ejus in reſtituendis potiſſimum Romanis legibus, ſciunt & paſſim deprædicant extolluntque eruditi JureConſulti: Quorum etiam tum ex ordinariis annotationibus, tum ex integris emendationum, caſtigationum, lectionum voluminibus induſtria omnibus cognita eſt. Vid. poſt *Alciatum*, *Antonium Auguſtinum*, *Budæum*, *Cujacium*, ſpicilegia non inerudita colligentem *Matthæum Gribaldum* in *Meth. Iur. l.* 1. *c.* 16. In contentione lectionum, notum eſt, omnibus Codicibus præferri Florentinarum ſive Piſanarum Pandectarum au-

 thorita-

thoritatem, de qua vid. *Ant. Auguſtin. lib.* 1. *Emend. cap.* 1. *Cujac. ad. l.* 2. *D. de diverſ. & temp. præſcript. Iac. Gothofr. Hiſt. Iur. cap.* 9. Præter hunc Codicem, *Collegium Argentor.* multis in locis, *Codicis Obrechtiani* mentionem facit, & exinde aliquot menda tollit feliciter: quapropter è re forſan Jurisprudentiæ foret, ſi lectiones, quibus ab editis libris diſcrepat, à Poſſeſſoribus ejus, conjunctim publicarentur. In ſcripturis reliquis, tam privatis, quàm publicis, ad emendandam & explicandam lectionem, potiſſimo ſubſidio ſunt *comparationes literarum*, & *notarum ſiglorumque incognitorum evolutiones.* Comparationes literarum, eum quidem uſum habent principaliter, ut deficientibus probationibus aliis, exinde convincatur is, qui negat Inſtrumentum ſua manu ſcriptum eſſe. Sed nihil tamen vetat, quò minus ſecundarius illarum uſus ad ſupplementum & emendationem quoque ſcripturæ derivetur. Vid. *l.* 20. *C. de fid. inſtrum. cum auth. ſubjectis.* conf. *Maſcard. de Probat. vol.* 1. *concl.* 330. *Card. Tuſch. tom.* 1. *Pract. Concl. lit. C. concl.* 483. *Carpzov. def. for. part.* 1. *conſt.* 17. *def.* 15. *Brunnemann. in Cod. ad d. l.* 20. *de fid. Inſtr.* Notarum & ſiglorum evolutiones tradiderunt ex antiquis *Tiro*, cujus notæ à *Grutero* cum *Inſcriptionibus* editæ ſunt, & extant auctiores in Bibliothecis. de Authore illarum controvertitur inter Eruditos: *Euſebius* in *Chron. olymp.* 193. *anno.* 4. *Tironi* Ciceronis liberto eas vindicat: ſed multæ ſunt cauſæ, propter quas à manu recentiori quis dixerit illas interpolatas eſſe. vid. *Cl. Salmas. ep. ad Peireſc. libr.* 1. *Ep. p.* 101. De Notis *M. Valerij Probi Vetuſtiſſimi Grammatici, Magnonis, Petri Diaconi* junctim à *Frid. Lindenbrogio* editis, vid. *Iac. Gothofr. in Bibl. Iur. c.* 2. *n.* 12. & in univerſum *Barnab. Briſſon. Antiq. lib.* 4. *c.* 21. add. omninò, ſolidiſſimæ doctrinæ JCtum *Gregor. Biccium, in Nucl. Coll. l. A. Præf. th.* 63. *& ſeq.* Linguarum peregrinarum & inco-

: incognitarum interpretatio quemadmodum facienda
t, hic mihi docendum non eſt. De cætero non improba-
iliter conſtitutum eſſe arbitror in ſupremo Sabaudiæ Se-
atu: *ne inſtrumenta publica peregrino idiomate conficerentur*;
b cauſas varias, quæ videri poſſunt in *Cod. Fabrian. de fid.*
ſtrum. defin. 13.

XXXIII. Remotis impedimentis extrinſecis, ſi
on appareat, quid actum, ſive quid ſub verbis cogitatum
t *l.* 94. *D. de V. O.* inquirendum ante omnia erit in pro-
rlam verborum ſignificationem *l.* 69. *pr. D. de leg.* 3. *l.* 1. §. 20.
). de Exercit. act. l. 126. §. 2. *D. de V. O.* non quidem ut ad
Grammaticam verborum originem ſemper deſcendatur.
l. 69. § 1. *D. de leg.* 3. aut ut legum oracula ſub regulis Do-
ati reſtringantur. *Diſt.* 18. *c.* 13. quanquam nec ab hac quo-
ue diſciplina, veterum JCtorum ſtudia aliena fuiſſe, La-
conis exemplo demonſtrat *Gellius N. A.* 13. 10. & evincunt
nfinita ſpecimina legum noſtrarum: ſed ut ex uſu & con-
etudine loquendi, ſignificationis vis derivetur. *l.* 23. 37. 38.
). de LL. l. 31. §. 20. *D. de AEdil. Ed. l.* 7. §. 2. *D. de ſup. leg.*
uæ etiam pro vera ratione recti ſermonis habenda eſt in
8. *D. de Aur. & Arg. leg.* Recipit autem uſus loquendi du-
licem diſtinctionem: nam 1. alius *Vulgaris* eſt, alius *Iu-*
dicus l. 49. *D. de V. S. l.* 58. *pr. l.* 103. *l.* 158. *l.* 162. §. 1. *D. eod.*
87. *eod.* 2. alius *communis* eſt, alius *proprius. l.* 50. §. 3. *D. de*
g. 3. In quæſtionibus facti, & præſertim in ultimis volun-
tibus, uſus & ſignificatio vulgaris, præfertur juridicæ:
uoniam plerumque abuſivè loquuntur teſtatores, nec
opriis nominibus ac vocabulis ſemper utuntur. *l.* 69. §. 1.
. de leg. 3. *l.* 3. §. 5. *D. de ſup. leg.* Uſus ſpecialis & teſtatori
oprius, præfertur communi: quoniam propius pertinet
l deſignandam teſtatoris voluntatem. *l.* 50. §. 3. *l.* 75. *l.* 99.
. D. de leg. 3. *l.* 9. §. 1. *D. de Trit. leg.* In quæſtionibus Juris

contra, propria atque juridica ſignificatio, præfertur vulgari, communis conſuetudo, uſui privato. Itaque in Legum interpretatione, principaliter & ex ipſa vi juridicæ ſignificationis, ſub maſculino ſexu, fœmininus comprehenditur. *l.* 3. §. 1. *D. de Neg. Geſt. l.* 3. §. 1. *D. de lib. Hom. exh. l.* 1. *l* 40. §. 1. *l.* 52. *l.* 195. *l.* 201. *D. de V. S.* ſub liberis, nepotes. *l.* 84. *d. l.* 201. 220. *D. de V. S.* conf. *l.* 6. *D. de Teſt. Tut.* §. *ult. Inſt. qui teſt. tut. & ibi Locam. lit. a.* add. *l.* 59. *D. de Rit. Nupt. l.* 41. §. 5. *D. de leg.* 3. ſub filiis, poſthumi. *l.* 164. *D. de V. S.* In quæſtionibus facti etiam quidem locum habet hæc interpretatio, ſed non æquè principaliter, verum per modum alicujus extenſionis. conf. cum ll. citatis *l.* 5. *l.* 15 *pr. D. de teſt. tut. l.* 15. § 1. *l.* 17. *pr. D. de leg.* 1. *l.* 103. *l.* 116. *l.* 122. *D. de V. S.* quod in jure interpretando ſecus eſt. *dd. LL.* add. *l.* 6. §. 1 *D. de V. S.* Non obſt. *l.* 10. §. 4 *C. de Adopt.* Ex infinitis ſpeciminibus juridicæ interpretationis, luculentum eſt illud, quod extat in *l.* 20. §. 6. *& ſeqq. D. de hæred. petit.* Si quis autem totam diſciplinam verborum civiliter interpretandorum, ordinatè digeſtam & exemplis pluribus illuſtratam exhiberi ſibi deſideraret, illi adeundum eſſet *C. I. A.* 30. 75. *& ſeqq.* interpretationes Dd. ad *t. t. de V. S.* quorum principaliores recenſet. *C. I. A. in d. t. de V. S.* Lexica Juridica: & inprimis *Briſſonij libri XIX. de V. S.* addito *libro V. de Formul.* Quique deſtinata & principali opera hanc viam decurrere inſtituit, *Magnifici Dn. Præſidis Hodogeta juris.* cum his jungenda eſt nobilis obſervatio *de ſtylo curiæ*, ejusque proprietate & efficacia ſingulari. de quo vid. *C. I. A. l.* 1. 37. *Everhard. in Top. Leg. loc.* 105. *VVeſembec. parat. D. I.* 3. 9. *Treutl. vol.* 1. *diſp.* 1. *th.* 9. *lit. a. Bach. ad Tr. d. loc.*

XXXIV. Quæ de ſignificatione & uſu verborum modò dicta ſunt, illa cum hac limitatione debent accipi,

ſi volun-

unt as loquentis non refragetur vel verborum ſignificationi, *uſui*: hoc enim ſi accidat in illis negotiis, quæ non à ta verborum conceptione dependent; præferetur vo- as, & verba improprie atque contra uſum accipientur ùs, quàm ut à voluntate recedatur. *l.* 11. *D. de in Ius vo- lo. l.* 20. *D. de Reb. Cred. l.* 6. *§.* 1. *D. de Contr. Emt. l.* 13. *§.* 2. *e Excuſ. l.* 35. *§.* 3. *D. de Hered. Inſt. l.* 9. *§.* 1. *D. de Trit. leg. §.* 3. *D. de Inſtr. leg. l.* 7. *§.* 2. *D. de ſup. leg. l.* 3. *§.* 9. *D. de n. leg. l.* 219. *D. de V. S. l.* 5. *pr. C. de Neceſſ. ſerv. l.* 23. *C. de r. l.* 3. *C. de lib. præt.* Rationes vide latè deducentem *h. de Feder. de Interpr. Leg. part.* 1. *n.* 2. *& ſeqq. p.* 3. *n.* 3. *&* . neque recedunt ab hac regula definitiones Practi- um *Cod. Fabr. l.* 6. *t.* 5. *d.* 1. *n.* 14. *Carpz. p.* 2. *c.* 39. *d.* 9. *n.* 6. *& p.* 3. *d.* 42. *n.* 4. Neque tamen hoc aliter procedere exiſti- ndum eſt, quam ſi de contraria voluntate ſufficienter ſtet. *l.* 69. *pr. D. de leg.* 3. *Gl. in l.* 64. *D. de leg.* 2. *Bald. in l. pr. D. eodem.* Colligitur autem voluntas contra ſcri- tæ proprietatem. I. A materia ſubjecta *l.* 15. *§.* 4. *D. lo- l.* 50. *§.* 1. *D. de leg.* 3. *l.* 3. *l.* 27. *pr. D. de Inſtr. leg. l.* 4. *§. fin. e pen. leg. l.* 28. *§.* 9. *D. de lib. leg. l.* 1. *D. de Reb. dub. l.* 164. *de V. S. Everhard. in Top. loc.* 93. *Feder. de I. LL. p.* 3. *n.* 15. *d. Tuſch. concl. pract. lit. V. concl.* 95. *Cod. Fabr. VI.* 19, 3. mpla vid. apud *Grot. de I. B. & P. II.* 16, 5. II. Ab incli- one naturali ſcribentis: quæ vel *communis* eſt, vel *pro-* . Ex *illius* efficacia eſt, quod nemo præſumitur velle quæ juri contraria ſunt: & hinc verba, quæ cum jure nant, ſi modo negotium ejus naturæ ſit, ut non penitus ruat, in impropriam ſignificationem deducuntur. *l.* 19. *le LL. l.* 1. *§.* 4. *l.* 9. *§.* 13. *l.* 10. *l.* 74. *D. de hær. Inſt.* add. *l.* 15. *de cond. Inſt. l.* 55. *D. de leg.* 1. *l.* 57. *§.* 1. *& ibi Br. D. ad SCt. bell. l.* 5. *& ibi Gl. C. de LL.* junctis textibus & præjudicio, od refert *Carpzovius p.* 3. *C.* 29. *def.* 16. pronunciatum in

cauſa

cauſa D. Johannis Erneſti Schönlebens: cum conveniſſet inter agnatos, ſimultaneè inveſtitos, *ut ſoli proximiores in bonis feudalibus ſuccederent*, & dubitaretur: an proprietati verborum inhærendo, defuncti fratris filii, neglecto communi repræſentationis jure, à ſucceſſione cenſerentur excluſi? Et placuit excluſos non videri: reſponſum enim eſt: daß ob wohl unter ihnen dieſes abgeredet worden / daß allewege der nechſte anverwandte Agnat in dem Lehen allein ſuccediren / und die andere davon außſchlieſſen ſoll: dieweil aber dannoch nach Sächſiſchen Lehenrechten / das Jus repræſentationis, welches die Brüder-Kinder mit denen Brüderen in gleichen grad / und einerley anverwandſchafft ſetzet / in dergleichen Lehensfällen ſtatt hat / **und nicht vermuhtlich / daß die belehnten dißfalls von denen gemeinen Sächſiſchen Lehenrechten / und dero obſervantz abzuweichen gemeinet geweſen /** So werden auch deß verſtorbenen Bruders-Kindere / nebens dem noch lebenden Bruder / zugleich nach den Stämmen / zur ſucceſſion deß Lehenguhts billich zugelaſſen. Add. *Tuſch. concl. pr. lit. D. 501.* Atque huc quoque rectè referuntur exceptiones generales, quibus ſecundū jus commune, atque utilitatem publicam limitantur non tantum pacta, teſtamenta & reliqua privatorum negotia, ſed etiam leges publicæ; ne quid ex applicatione illarum ad facta ſingula redundet, quod vel juri communi vel reipublicæ ſaluti adverſetur. Sed hoc ad interpretationem reſtringentem pertinet. Vid. *Grot. de I. B. & P. II, 16, 26.* Ad iſtum locum porro in cauſis & factis privatorum, referenda eſt generalis affectio, quæ inter perſonas ſanguine propius conjunctas intercedit. *l. 9. D. de probat. l. 50. §. 3. D. de leg 1. l. 7. §. 1. D. unde lib. l. 7. D. de bon. damn. l. 3. C. de inoff. teſtam. l. 7. C. de dot. promiſſ. l. 50. C. de Fideicommiſſ.*

& præ-

ræſumtiones juris, præſertim negativæ aliæ : de quibus tum eſt, ubi tractent Dd. Illæ autem præſumtiones, æ dicuntur juris & de jure, ſicut ab ipſa definitione præ- ntionis propriè ita dictæ, ita ab hoc quoque loco alie- ſunt : prout illud ſolidè deducitur in *C. l. A. XXII*, 3, 15. *linatio propria* intelligitur ex affectione peculiari ejus, de jus voluntate quæritur, vel ad amicitiam, vel ad inimi- iam, ſpeciali de cauſa, provocatâ. quæ variè æſtimatur perſonis & rebus : eſt enim facti magis, quàm juris: & eo juris auctorum quæſtione generaliter definiri non oteſt. *l. 32. pr. D. de Vſur. & fruct.* poſſunt tamen ejus exem- a peti ex *§. 9. & 11. Inſt. de Excuſ. l. 62. §. 1. D. de hered. Inſt.* 87. *§. 11. D. de leg. 2. l. 3. §. ult. l. 4. D. de Adim. leg. l. 9. pr. D. his, qui ut indign. l. 16. §. 1. D. de Man. vind. l. 38. D. de Fi- icomm. lib. l. 168. §. 1. de R. I.* augeturque illius efficacia on parum, ſi à ſingulari contemplatione dicentis vel ribentis adjuvetur. de qua vid. *l. 22. D. de Vſufr. l. 11. D. de act. dotal. l. 45. D. Acq. vel om. hær. l. 11. §. 22. l. 49. §. 3. D. de g. 3. l. 10. D. de Aur. & Arg. leg.* ex his enim, ſi conjungan- ur, elicitur validiſſimè contra verba etiam, id, quod di- turus fuiſſet ille, de cujus verbis diſceptatio eſt : ad quod n omni interpretatione potiſſimum eſt reſpiciendum. *43. pr. D. de Vulg. & Pup. ſubſt. l. 92. D. de hær. Inſt. l. 19. D. e Jur. Codicill. l. 49. §. 3. D. de leg. 3. l. 82. D. de Cond. & de- onſtr. l. 10. C. de legat. l. 6. C. de Fideicomm.* atque hoc qui- em in interpretatione legum, verum & proprium offi- ium *AEquitatis* eſt, ut id dicat interpres, quod Legislator icturus fuiſſet, ſi adeſſet : omni captione verborum, & ninutiis atque ſubtilitatibus cavillatoriis rejectis. *l. 17. 29. o. D. de LL. l. 51. §. 2. D. ad l. Aquil. l. 31. D. depoſ. l. 43. pr. D. de Vulg. & Pup. ſubſt. l. 90. de R. I. l. ult. & ibi Gl. C. de LL. l. 6. C. de Inſt. & ſubſt. N. 136. c. 4. in fin.* Non obſt. *l. 12. §. 1. D. qui*

& à quibus man. Fontes æquitatis multi ſunt & reconditi: quos ex interioris eruditionis & diſciplinæ regulis eruentem vid. *Illuſtrem Bæclerum, Doctorem meum & Hoſpitem æterna veneratione colendum, in Diſſ. Academ. diſſertat. V. p. 270. & ſeqq.* inprimis autem ad eos, & ad ipſam voluntatem legislatoris, deducit interpretem *legis ratio*, non tantum *intrinſeca*, ſed etiam *extrinſeca*, quæ & occaſio dicitur, quæque negligenda non eſt: quanquam vis rationis intrinſecæ latius pateat, & ad extendendam quoque reſtringendamque legem efficax ſit. *l.* 11. *& ſeqq. D. de LL.* cum textibus citatis in *C. I. A. I.* 3. 10. *& ſeqq.* Non obſtat *l.* 20. *cum ſeq. D. de LL.* Licet enim in his, *quæ à majoribus conſtituta ſunt*, quæque adeò juris merè poſitivi ſunt, & à ſola voluntate conſtituentium authoritatem habent, cum de obſequio legibus præſtando agitur, rationes nimis ſcrupulosè exigi non debeant, ita ut ab illis authoritas legum ſuſpendatur: hoc enim modo ſæpè ſubverterentur ea, quæ certam vim obligandi habent. *d. l.* 21. *D. de LL.* In iis tamen, quæ fundata ſunt in ratione naturali, vel ubi de interpretanda lege agitur, rationem legis & occaſionem ſcire neceſſarium eſt. Exempla non petemus ex longinquo: ſciunt qui prudentia & uſu valent, quantum deſideratæ hucuſque lucis eſſet acceſſurum Comitialibus Receſſibus Imperii noſtri Romano-Germanici, ſi per ſingulas partes liceret interius cognoſcere, quæ ſubinde ratio Legumlatores moverit, quæ momenta impulerint, ut in hanc, vel in illam ſententiam diſpoſitionis publicæ formulam vellent inclinari. Vid. partem hujus voti in *Notit. Imp. Bæcleriana libr.* 12. *c.* 6. Add. *doctiſſ. Mauritii Diſſertat. de Receſſ. Imp. th. ult.* & inſigne ſpecimen, *Epiſtolas Illuſtris Forſtneri de Pace Oſnabrugenſ.*

XXXV. III.

XXXV. III. Præter hos fontes, interpretatio vo-
tatis frequenter quoque deſumitur ex *conjunctis*: Con-
cta autem ſunt vel *origine*, quæ diverſo quidem loco
ita ſunt, ſed ex eadem tamen voluntate proficiſcuntur.
que hoc modo unius Imperatoris Conſtitutio, ex Con-
utione alia ejuſdem Imperatoris: Unius JCti reſpon-
n, ex reſponſo alio ejuſdem JCti; & generaliter cujusvis
tum, ex eo quod idem dixit loco alio, interpretationem
ipit. *l.* 26. 27. 28. *D. de LL. l.* 89. *pr. D. de leg.* 2. *l.* 91 §. 3. *D.*
eg. 3. Non obſt. *l.* 1. *D. de reb. dub.* conf. *Gl. in l.* 64. *D.*
leg. 2. *Pret. de int. ult. vol.* 1. 5. 25. *& ſeqq. Labitt. in uſ.*
. 3. *Iac. Gothofr. in Præf. ad R. I.* vel *loco*: qualia ſunt an-
edentia & conſequentia ejuſdem contextus. §. 15. *Inſt.*
L. Aquil. l. 24. *D. de LL. l.* 1. §. 4. *l.* 10. §. 2. *D. de Edend.*
. §. 1. *D. qui teſt. fac. poſſ. l. ult. D. de hæred. Inſt. l.* 50. §. 3.
le leg. 1. *l.* 77. § 22. *D. de leg.* 2. *l.* 134. § 1. *D. de V. O. Labitt.*
ſu ind. 2. add. *Everhard. Top. legal. loc.* 28. *Grot. de I. B. &*
, 16. 7. neque alio pertinet interpretationis illud genus,
o explicatur *nigrum* ex *rubro*, de quo agunt prolixè *Dd.*
. 1. *D. de Reb. cred. Gl. in l.* 1. *C. Ne fidej. dot. dent. Ever-*
d. Top. l. 92. *Tuſch. pr. Concl. Tom.* 7. *lit. R. concl.* 370.
. Ex qualitate perſonarum; *l.* 50. §. 3. *D. de leg.* 1. *l.* 14. *D.*
nn. leg. unde eleganter reſponſum eſt: *ſi Studioſus Stu-*
ò chartas univerſas legaverit, libros deberi; quanquam
s chartarum nomine libri non contineantur. l. 52. §. 4. *D. de*
3. V. Ex effectu eventuque interpretationem quoque
endam tradunt *Dd. l.* 26. §. *ult. D. de Teſt. Tut. l.* 39. §. 2.
le leg. 1. *l.* 15. *D. de Reb. dub. l.* 98. §. 3. *D. de ſolut.* Sed even-
res quidem ex incertis, in ſe certas facit: ad voluntatis
em antecedentis declarationem parum confert. Niſi
od ita declaranda voluntas eſt, ut effectum ſortiatur: de
o mox inter modos declarandi obſcuri dicetur. *Grotius*

 de I. B.

de I. B. & P. II. 16, 6. ita putat ab effectu deſumi interpretationem debere, ne voluntas ad abſurdum tendat. Verum hoc quoque ſenſu, effectus conſideratio non ad fontes, unde poſſit erui interpretatio, pertinet, ſed ad modum, quo ex fontibus eruenda eſt.

XXXVI. Subſidiarii fontes cæteri, ex quibus voluntas deducitur, varii ſunt, & ideò in genera dividi facile non poſſunt *l. 5. pr. D. de Extr. Cogn.* Summatim tamen *vel* in cauſæ favore, *vel* in cauſæ odio conſtitui poſſunt. Ex eo enim, quod cauſa favorabilis vel odioſa eſt, non tantum fit, ut ei modo plenior, modo ſtrictior interpretatio ſit aptanda: ſed prorſus etiam, ut modo in hunc, modo in illum ſenſum declarari debeat. Atque ita cum dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondetur. *l. 14. pr. D. de leg. 2. l. 10. §. 1. D. de Reb. dub. l. 24. D. de Manum. l. 14. D. de man. Teſtam. l. 36. 38. D. de Re Iud. l. 20. l. 179. de R. I. l. 14. C. de Fideic. lib.* cum dubia cauſa dotis, pro dote. *l. 70. D. de Iure dot. l. 45. D. ſolut. matr. l. 85. de R. I.* add. *l. 2. l. 9. §. 1. l. 57. 74. D. de Iur. dot. l. 2. l. 11. D. de Pact. dotal. l. 1. D. ſolut. matr. l. 17. l. 18. D. de rebus auth. Iud. poſſid. l. ult. C. de dot. promiſſ.* cum de obligatione agitur, quæriturque plus an minus debeatur? in favorem liberationis, pro eo reſpondendum eſt, quod minimum eſt. *l. 14. §. 1. l. 39. §. 6. D. de leg. 1. l. 43. §. 1. D. de leg. 2. l. 29. §. 1. l. 75. D. de leg. 3. l. 47. D. de O. & A. l. 9. l. 34. de R. I.* Non obſt. *l. 43. D. de Vſufr. l. 20. §. 1. l. 24. D. de ann. leg. l. ult. D. de alim. leg. l. 31. l. 38. pr. §. 2. D. de Aur. leg. l. 12. de R. I.* & hinc porrò melius eſt in re obſcura favere repetitioni, quàm adventitio lucro. *l. 41. §. 1. de R. I. l. ult. C. de cond. indeb. l. ult. §. 5. C. de Iur. delib.* E contrario, ſi inter aliquos pactum vel contractus obſcurus interceſſerit, in odium ejus interpretatio fit, qui verba obſcura protulit: ne is

facto

to ſuo alteri conditionem iniquam inferat. *l.* 155. *de R. I.* quoniam is potuit legem contractus apertius dicere. *D. de pact. l.* 42. *pr. D. de jurejur. l.* 21. 33. 34. *D. de contr. t. l.* 26. *D. de reb. dub. l.* 38. §. 18. *l.* 99. *l.* 106. *D. de V. O.* Non *l.* 66. *D. de Iudic. l.* 23. *pr. D. de ſerv. Præd. Vrb. l.* 29. *D. r. l.* 13. *D. qui pot. in pign. l.* 96. *de R. I.* Conf. *l.* 83. §. 1. *D. de l.* 172. *de R. I.*

XXXVII. Ex mediis & præſidiis, per quæ verus ſenſus poſſit è fontibus enumeratis, *alia* ſita ſunt in interprete; deſumuntur ex rebus: quæ in interprete ſunt, illorum ſunt naturalia; qualia ſunt recta atque ſubtilis intelliendi facultas, & ſolidum dijudicandisque rebus aptum icium. Conjunctim hæc poſſunt comprehendi ſub *quate ingenii. l.* 2. §. 47. *D. de O. I.* pertinetque huc *animus ilis, rebusq; inveniendis & ex occulto eruendis idoneus. l.* 2. *C. de V. I. E. interpretandi ſubtilitas. l. un. C. de Prof. qui urb. CP.* à qua laudatur *Iulianus* in *l.* 2. §. 28. *C. de V. I. E.* deque *Papinianus acutiſſimi ingenij vir* dicitur. *l.* 30. *C. de eicomm.* & quæ non Profeſſoribus tantum commenda in *d. l. un. C. de Prof.* ſed in Judice quoque magnam parn conſtituit prudentiæ judiciariæ. *l.* 13. §. 3. *C. de Iudic.* h obſt. *l.* 1. *C. ut in poſſ. leg. alia* præſidia ſunt acquiſita: hæc diſciplinæ interpretandi juris *vel* domeſtica, *vel* rinſecus acceſſita. *Acceſſita* continentur generaliter *cæteris ſapientiæ operis*, in *l.* 2. §. 47. *D. de O. I.* & illorum culus quanquam ingens, quin tamen integer juris interti neceſſarius ſit, poſt tot graviſſimorum JCtorum paſi promulgata judicia, dubitari amplius non arbitror. *meſtica* fundantur in habitu Juridico, quo niſi ex diligentractatione legum *coloratus* ſit penitus & *imbutus* (*l.* 2. §. 11. *de V. I. E.*) is, qui ad interpretandum Jus, animum ſuum operam applicat, ſibi eum neceſſe eſt & aliis imponere.

Atque hæc ita ſummatim, quatenus in interprete ſunt & eſſe debent, conſiderata, generaliter ad omnes fontes eruendæ interpretationis pertinent: quatenus autem ex rebus ipſis deſumuntur, eatenus rectè conſtitui poſſunt in illorum ſpeciali applicatione ad ſingulos fontes. Ita, ut ſub illuſtriori exemplo loquamur, in Romanis legibus interpretandis nihil feliciter tentabitur, niſi proprietati verborum ex ſua penitiori origine eruendæ, adſit & ſerviat genius Latini ſermonis interior: uſui loquendi, diligens & accurata obſervatio: rationi Legis intrinſecæ, ſolidum ſubſidium diſciplinarum Practicarum; Occaſioni Legis extrinſecæ, cognitio temporum, & univerſi moris civilis atque præſertim judiciarii Hiſtoria. Ipſa vero applicatio mediorum ſingulorum ad ſuos fontes, quoniam non poteſt niſi ratiocinando perfici, ut dextrè & ordinatè fiat, ſola poterunt præſtare præcepta Dialecticorum. Cum quibus conjungenda ſunt inventa varia, artes, arcana atque myſteria interpretationis, JCtis noſtris peculiaria: quæ quis non malè Eurematica ſive cautelas vocaverit, ad exemplum Eurematicorum quibus in negotiis civilibus contrahendis & definiendis JCti utuntur: de quibus jam olim peculiarem librum conſcripſerat *Modeſtinus*, quem non alio quàm cautelarum nomine cenſeri debere, conſtat ex *l. 65. D. de Procurat. l. 25. D. ad SCt. Vellej. l. 63. D. de Iur. dot. l. 58. D. ſolut. matr. l. 9. D. de ſuſp. Tut. l. 4. D. de Vulg. & Pup. ſubſt. l. 50. D. de Acquir. & om Her. l. 19. D de Vſ. & Vſufr. leg. l. 53. D. de Cond. & Demonſtr. l. 45. D. ad SCt. Treb.* Et quidem inter artes interpretandi potiſſima eſt, ars συνθέσεως καὶ συμβολογίας, qua uniuscujuſque JCti vel Imperatoris leges conjunguntur, & ſub ſuos quæque Authores reducuntur, disjectæque interdum legum partes iterum coaſſantur: ut ex hac conjunctione, uniuscujuſq; JCti, vel Imperatoris ſingularis atque ... proprius

oprius, ſcribendi genius poſſit erui, & potiſſimum ex
mparatione antecedentium & conſequentium, atque
eo ex totius ſermonis pleno contextu, verus & perfectus
monis intellectus colligatur: quem ſine hoc præſidio
poſſibile eſt non vacillare. *Dum* enim *lex per partes dis*
ibuitur, confunditur totum, & tam ſenſus quàm aures legen
um ex hoc perturbantur. *l.* 2. §. 14. *C. de V. I. E.* indeque *in-*
ile ſemper habitum eſt, niſi tota lege perſpecta, una aliqua
s particula propoſita judicare, vel reſpondere. *l.* 24. *D. de LL.*
ud quoque artificium non minus utilitatis habet, quo
monumenta, quæ nobis ex Romanis legibus ſuperſunt,
ſuos fontes & primam originem revocantur: quam in
gmentis *XII. Tabb.* in *lege Iulia & Papia,* in *Edicti perpetui*
librorum Sabinianorum ordinatione feliciter reſtituit *do-*
ſsimus Iacobus Gothofredus. Ad verum enim ſcopum, at-
e adeo ſenſum uniuscujuſque legis plurimum confert,
ſſe, à quibus principiis, quo progreſſu in hanc vel in illam
is formulam ſit deducta. Non obſt. *l.* 1. §. 7. *l.* 2. §. 10. *l.* 3.
. *C. de V. I. E.* Illud ad conſtituendam quidem & fundan-
n Juriſprudentiam principaliter facit; ſed in jure inter-
tando tamen etiam operam non levem præſtat, quando
gularia præcepta juris revocantur ad generaliora, con-
ſiones ad ſua principia, deciſiones ad ſuas primarias ra-
nes: ex his enim analogia juris plene ſtabilita, ſi non ſpe-
ſum ſemper, at certe ſolidum lumen interpretationi ju-
affulget. Quæque ſunt aliæ interpretandi artes, erudi-
tantum notæ; quibus poſt reſtauratas præſertim literas
ti recentiores vel ad ſplendorem Juriſprudentiæ noſtræ
ructi fuerunt, vel ad opprobrium ejus caruerunt. Exem-
in utramque partem obvia ſunt; ſed altera invidiæ
na ſunt, altera ſunt odioſa. Si quis antiqua nomina non
idit, legat elogium *T. Ariſtonis,* cujus nomen in jure no-
ſtro fre-

ſtro frequentiſſimè occurrit, apud *Plinium in Ep. libr.* 1. *Ep.* 22. Inveniet, quod utiliter queat imitari.

XXXVIII. Modus, ſecundum quem ex ſuis fontibus erui verus ſenſus debet, in eo poteſt ſummatim conſtitui, *ut ſenſus aptus & congruens ſit negotio de quo agitur*: quod ex perſonis & circumſtantiis aliis variè tractari poteſt, latiſſimeque patet. Nam hoc requiſito excluditur I. omnis abſurditas, aut ſenſus à conditione perſonæ, rei, cauſæque abhorrens. *l.* 19. *D. de LL. arg. l.* 4. *in fin. D. de offic. Proconſ. l.* 22. *D. de Neg. geſt. l.* 3. *D. ſi uſufr. petatur. l.* 51. §. 2. *D. ad L. Aquil. l.* 7. *D. de bon. lib. l.* 67. *de R. I. Everhard. Top. loc.* 23. *Mantic. de Tac. conv. libr.* 2. *t.* 13. *Prat. de Interp. ult. vol. I.* 1. 4. 4. Add. Practicos ap. *Tuſch. Conc. Pr. t.* 1. *concl.* 66. Econtra II. eo ipſo, quod interpretatio negotio per omnes circumſtantias congruit, veriſimilem eam quoque eſſe neceſſe eſt. *l.* 34. *D. de neg. geſt. l.* 12. §. 4. *D. de Vſu & hab. l.* 13. *D. qui pot. in pign. l.* 21. §. 3. *D. de teſt. l.* 25. §. 1. *D. de lib. & poſth. l.* 47. *pr. l.* 50. §. 3. *D. de leg.* 1. *l.* 66. *pr. D. de leg.* 2. *l.* 64. *D. de leg.* 3. *l.* 22. *pr. D. de Alim. leg. l.* 24. *D. de reb. dub. l.* 25. *D. de cond. & Dem. l.* 114. *de R. I.* III. Illi, quod veriſimile eſt, adjungit *Paulus* in *d. l.* 114. *de R. I.* id, quod plerumque fieri ſolet: quod *Iac. Gothofred.* & *Eichelius* de conſuetudine accipiunt, de qua ſupra nobis actum eſt. Atq; hæc quidem explicatio quanquã tolerari poſſit; mihi tamen videtur JCtus ad modum potius reſpexiſſe, quo fieri debet interpretatio; ut *inſpicere id, quod plerumque fieri ſolet*, nihil aliud ſit, quàm id quod plerumque fieri ſolet, in interpretando ante oculos habere, ita ut ad illud interpretatio aptetur. Planè ſicut idem JCtus in *l.* 3. *D. ſi pars hæred. Prudentiſſimè*, dicit, *juris auctores in definitione caſus ambigui, medietatem ſecutos eſſe, ut quod fieri non admodum rarò poſſet, intuerentur*, i. e. ea definition e

nitione factum deciderent, quæ caſibus frequentioribus potius, quam rarioribus poſſet aptari. *l.* 3. *& ſeqq. D. de LL.* *l.* 63. *D. ad l. Falcid. l.* 64. *de R. I.* Non obſt. *l.* 10. *l.* 14. *D. de ſtatu hom. l.* 12. *D. de lib. & poſth. l.* 135. *D. de V. S. l.* 7. *§.* 3. *D. de A. R. D.* add. *§.* 22. *I. de R. D. N.* 39. *N.* 94. *c.* 2. IV. Iſta aptatio ſenſus non tantum ad principium negotii, ſed præcipuè ad effectum pertinet: omne enim dubium ita explicari debet, ut valeat potius negotium, quam ut pereat. *l.* 109. *pr. D. de leg.* 1. *l.* 34. *§.* 1. *D. de leg.* 2. *l.* 12. 13. 21. *D. reb. dub. l.* 80. *D. de V. O. l.* 67. *l.* 172. *de R. I.* V. Ex eadem congruentia ſenſus cum ſubjecto, fluit, quod interpretatio modo plena deſideratur, modo plenior, modo pleniſſima, modo ſtricta: interdum benigna, interdum odioſa: cujus diverſitatis ratio & moderamen in æquitate conſiſtit, explicaturq; ab iis, qui extendendi ſenſus reſtringendique modos & normam tradiderunt.

XXXIX. Poſtquam inveſtigatus eſt verus ſenſus, & a ſenſu vitioſo diſcretus, proximum facultatis interpretativæ munus eſt, ut verbis claris, perſpicuis, ordinateque compoſitis, proponatur & aptetur intellectui: quod quemadmodum fieri debeat, Rhetores tradunt, qui de perſpicuitate præcipiunt. In legibus noſtris Imperator *Iulianus* generaliter *magiſtros Studiorum Doctoresq́, excellere* vult *facundia. l.* 7. *C. de Prof. & Med. Theodoſius* autem ſpeciatim in *Juriſperitis* requirit, *ut cum docendi peritia, facundiam dicendi, interpretandi ſubtilitatem, copiamq́, diſſerendi ſe habere patefaciant. l. un. C. de Profeſſ. qui in urb. CP.* & hinc ſæpius à facundia JCti noſtri laudantur. Ita *facundiſſimi Anteceſſores* dicuntur in *l.* 1. *§.* 3. *C. de V. I. E. Mucianum Cicero ICtorum diſſertiſſimum, ait. l.* 2. *§.* 40. *D de O. I.* & in comparatione *Trebatij* cum *Caſcellio*, *Trebatius* quidem *Caſcellio peri-*

tior; *ſed hic illo eloquentior fuiſſe* dicitur *d. l. 2. §. 45. D. de O. I. Iulianus* vocatur *diſertiſſimus Iuriſperitus* in *l. 5. C. de bon. quæ lib. Papinianus & Vlpianus* junctim *diſertiſſimi viri* in *l 9. C. de Inſt. ſub Cond fact.* Exponitur autem ſenſus & intellectui aptatur I. per ſimplicem metaphraſin ſive translationem ſermonis ex lingua ignotiore, in linguam magis cognitam: ſicut, invaleſcente uſu Græcæ linguæ in Orientali Imperio, neceſſarium fuit, Jus Romanum in Græcam linguam transferre; id quod jam olim permiſerat *Iuſtinianus l. 2. §. 21. l. 3. §. 21. C. de V. I. E.* quodque deinceps vaſto *Baſilicorum* opere præſtitum eſt: de quo vid. *Iac. Gothofr. in Biblioth. Iur. p.* 80. II. interdum in recenſendis legibus Romanis, antiqui JCti quoque utuntur Græcis vocibus, non tanquam notioribus, ſed tanquam ſignificantioribus, & ad exprimendam rem ſubjectam efficacioribus: quod *Vlpiano* præſertim familiare eſt: ſicut exempla omnibus fere titulis obvia declarant. III. Communiſſimum interpretandi genus eſt, quod fit ἐξηγήσει adhibita, eaque vel pleniore, vel adſtricta magis: quam ex præſcripto Imperatoris facilè illi alteri liceat præferre. arg. *l. 1. §. 12. C. de V. I. E.* IV. Paratitla, de quibus agit Imperator in *d. l. 1. §. 12.* addita *l. 2. §. 21. l. 3. §. 21. C. de V. I. E.* quæque vult indicis & admonitorii tantum vicem ſuſtinere, interpretationem non continent; ſed ſubſidium tantum præſtant interpretationi. vid. de iis *C. I. A.* 1. 2. 52. V. Efficaciſſimus interpretandi modus eſt, qui fit per exempla; antiquis JCtis nón neglectus. *l. 1. pr. D. de præſcript. verb. l. 13. §. 12. D. de Excuſ. l. 46. D. de Cond. & Dem. l. 1. §. 25. D. de Vi & vi arm.* Et *Gloſſa* præſertim caſibus & exemplis fingendis valde ſemper ſtudiosè intenta eſt: Cujus inſtitutum non conſtituit novam interpretationis ſpeciem, ſed ex antecedentibus variè & ſine arte ulla, permixtum eſt. VI. Omnium autem interpretandi

tandi generum, uberrimum, utiliſſimumque, ſed difficillimum itidem eſt paraphraſis: ſive in eadem lingua cum ſermone quem interpretatur, ſive in diverſa concipiatur; de qua vid. *Quintil. Inſt. Or.* 10, 5. Pro ſpecimine inſigni, hactenus non immeritò laudari conſuevit *Paraphraſis Inſtitutionum Theophili Anteceſſoris.* De cujus ætate diſquirit *Fabrottus in præfat. ad Theoph.* uſum autem hujus paraphraſeos per partes luculentiſſime demonſtrat *Viglius in Præfat. ad eandem.*

XL. Quæ de forma interpretationis hactenus annotata ſunt, illa facilè poſſent per partes illuſtrari ex iis, quæ de obſcuro ambiguoque interpretando Rhetores tradiderunt. *Cic. de Invent. l.* 2. *c.* 40. & *de orat. l.* 2. *c.* 26. *Autor libr. ad Herenn. l.* 2. *c.* 11. *Quintil. l.* 7. *c.* 9. ſed inſtitutum noſtrum id non patitur. Itaque porro, quod ad CAVSAM EFFICIENTEM interpretationis attinet, dividunt ab illa Dd. interpretationem in *authenticam*, *doctrinalem & Vſualem*, quæ diſtinctio obviam omnibus, & non incommodam explicationem habet: quanquam, ſi quis ad vim authenticæ interpretationis reſpiciat, uſualis quoque & doctrinalis interpretatio ſuo modo poſſit authentica dici. *l.* 37. 38. *D. de LL.* §. 8. *I. de I. N. G. & C.* De cætero legum quidem interpretandarum omne principium & fundamentum in ſumma poteſtate conſtituendum eſt. *l.* 43. *pr. D. de Vulg. & Pup. ſubſt. l.* 9. *l.* 12. *C. de LL.* à qua & uſuali & doctrinali interpretationi vis juris participatur. *Cauſa Efficiens.*

competit in verbis noſtris interpretandis, *interdum* Jus alterius: in contrahendis præſertim negotiis, in quibus is, qui verba profert, contracta obligatione, liberam facultatem interpretandorum verborum ſuorum, ex quibus alteri obſtrictus eſt, amplius non habet; ne perpetua tergiverſandi occaſione alterius juſtam intentionem poſſit eludere. *l. 2. §. 3. D. de eo, quod certo loc. l.* 83. *§.* 1. *D. de V. O. l.* 172. *de R. I. cum text. ſupra citatis th.* 36. *in fin. interdum* mors ejus, qui verba protulit, ut teſtatoris: qua ſubſecuta, alio interprete opus eſt. Et hic rurſus prima pars Majeſtatis eſt. *l.* 13. *§.* 1. *D. de Alim. leg. l.* 8. *§.* 7. *D. de penul. leg.* à qua etiam facti interpretatio ad Juriſprudentes demittitur. *l.* 31. *§.* 1. *D. de Vulg. & Pup. ſubſt.* & potiſſimum ad judices *l.* 1. *§.* 2. *D. de Iur. delib. l.* 28. *§.* 9. *D. de lib. leg. l.* 7. *C. de Fideicomm.* in quibuſdam tamen caſibus, interpretanda voluntas defuncti, privatis quoque permiſſa eſt: velut legatario, ſi res generaliter relicta ſit. *§.* 22. *Inſt. de leg. & ibi Locam. l.* 20. *l.* 108. *§.* 2. *D. de leg.* 1. *l.* 2. *§.* 1. *l.* 12. *D. de opt. leg.* Non obſt. *l.* 69. *§.* 4. *D. de Iur. dot. l.* 66. *§.* 3. *D. de leg.* 2. ſi alternativè *l.* 34. *§. pen. D. de leg.* 1. *l.* 23. *D. de leg.* 2. Non obſt. *l.* 10. *§.* 6. *D. de Iur. dot.* hæredi, cum de certa ſpecie ſenſit teſtator, nec apparet de qua cogitavit. *l.* 32. *§.* 1. *l.* 37. *§. ult. l.* 39. *§.* 6. *l.* 71. *pr. D. de leg.* 1. *C. l. A.* XXXIII. 6, 4. *& ſeqq. Bachov. ad Tr. II,* 13, 5.

Finis. XLI. FINIS ſive ſcopus legitimæ interpretationis dirigere propoſitum interpretis debet, non ad oſtentationem, neque ad detorquendum & involvendum legis ſenſum, ſed eò, ut, quàm maximè fieri poteſt, clarum ejus & evidentem intellectum omnibus præſtet; *utque hinc univerſi, præſcripto Legis manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur. l.* 9. *C. de LL.* atque ita deinceps lex

uſum

ſum, quem in continenda tranquillitate & ſalute publica
præſtare debet, in ſolidum poſſit exhibere. Sicut in factis
quoque & dictis privatorum interpretandis, non quod ſibi
utilius, neque quo gratia vel odium rapit, ſed quo volun-
tas loquentium, quo norma juſtitiæ, dictamen æquitatis,
& univerſæ denique civilis ſapientiæ lumen, dignitas,
ſplendor, nullis malis artibus, nullis affectibus aut incom-
poſitis animi motibus, nullis denique tenebris barbariei
obducendus, aut dehoneſtandus, vocat, ad id ſuam debet
interpretationem aptare verus interpres: quod partim ex
officio interpretis ſuperius deſcripto, partim aliunde poſ-
ſet uberius deduci, niſi nos propoſiti noſtri modus adeo
cogeret in arctum. Quo tamen non debet excludi, quin
admoneatur: morbos omnes & mala, quæ ſinceritatem
reddendi juris, in judiciis, & per judiciorum latus, ipſa rei-
publicæ viſcera invaſere, non aliunde quàm à perverſa in-
terpretandi ratione & conſuetudine principium habere:
cum interpretando ſibi quisque jura & leges aptas facit, po-
tius, quam ut ſuos mores ad eas accommodet. A quo ta-
men inſtituto unumquemlibet, ſi non fines antea recen-
ſiti, at certè ſanioris conſcientiæ rectitudo, & ſanctior Divi-
ni Numinis cura debebat avertere; ad cujus gloriam quod-
cunque propoſitum non dirigitur, infelix eſt.

XLII. Habet autem recta interpretatio præter eos, qui
e fine colligi poſſunt, hos præterea EFFECTVS; quod
..., quæ ex authoritate ſummæ Poteſtatis, vel immediatè, *Effectus.*

nius conditionem libertatis legato additam: *ſi diſpenſator rationes diligenter tractaſſe videbitur*, ita explicat, *ſi videri poterit: quoniam & verba Legis XII. Tabb. ſic interpretati ſunt veteres: ſi aqua pluvia nocet, i.e. ſi nocere poterit. l. 21. pr. D. de ſtatulib.* add. *l.* 121. *D. de leg.* 1. *& ibi Bart. l.* 13. *§.* 3. *D. de Manum. Teſt.* Non obſt. *l.* 74. *in fin. D. ad SCt. Treb.* Interpretatio judicis ſententiæ vim habet; & idcircò ab ea, tanquam ab alia quavis ſententia, poteſt appellari. *l.* 4. *§.* 1. *D. de appel* Quod autem Dd. tradunt vulgariter, *interpretationem ſemel factam variari non poſſe. Gl. in l.* 99. *D. de V.O. Dd. in c.* 7. *X. de Teſt. cog.* illud cum hac limitatione atque determinatione accipi debet, *ſi mutatio iſta tendat in alterius præjudicium*: *l.* 75. *de R. I.* atque hinc neque legatarius, ſi ſemel elegerit, iterum poterit eligere. *l.* 5. *pr. de leg* 1. *l.* 20. *D. de opt. leg.* Non obſt. *l.* 18. *D. eod. l.* 22. *§.* 1. *D. de Uſu & hab.* neque hæres. *l.* 84. *§.* 9. *D. de leg.* 1. *l.* 11. *§.* 1. *D. de leg.* 2. *l.* 11. *§.* 5. *D. de leg.* 3. add. *l.* 112. *D. de V. O.* cui non obſtat. *l.* 138. *§.* 1. *D. eod.* conſ. *C. I. A XXXIII.* 6. 9. Nam de cætero, quoties nova ſubſidia interpretationi corrigendæ ſubnaſcuntur, permittendam eſſe interpretationis mutationem, & rationis & juris certi eſt. *l.* 3. *& ibi Dd. C. de Edendo.* Non obſt. *l.* 23. *D. de Iudic.* ad quam Reſp. ex *l.* 21. *§.* 1. *D. qui Teſt. fac. poſſ.* add. *Obrecht. de concipiend. & form. libell. c.* 20. *n.* 4. *& ſeqq. Weſenbec. Par. D.* 11. 3, 8. *& ad I. §.* 33. *de Act.*

Contraria. XLIII. CONTRARIA verò interpretationi ſunt ea præſertim vitia, quibus ſupra dictum eſt omnem penitus intelligendi viam præcludi, qualis eſt vox ἄναρθρος ex *l.* 7. *in fin. D. de ſup. leg.* ſi quis loquatur non tantum ἀσαφῶς, *ſed penitus* ἀσήμως, *ſine ulla vocis ſignificatione. l.* 9. *D. de AEdil. Ed.* ſi id, quod ſcriptum eſt, prorſus *legibile* non ſit, *neque oculis poſſit perſpici*, *l.* 1. *pr. D. de his, quæ in teſt. del.* vel *non intelligi*,

intelligi, quid ſignificet. l. 2. D. de his, quæ pro non ſcript. hab. ſi deficiat omnis conjectura voluntatis. *l. 62. §. 1. D. de hær. Inſt. l. 30. D. de Teſt. Tut. l. 10. §. ult. D. de Vulg. & Pup. ſubſt. l. 16. D. de condit. Inſt. l. 18. D. de Vſu & Vſufr. leg.* quo omninò referri debent ea, in quibus voluntas loquentis nullum exitum invenire poteſt; quales ſunt *eæ quæſtiones, quæ vocantur* τῶν ἀπόρων, *quorum tractatus apud dialecticos* τοῦ ψευδομένου *dicitur, cum quicquid conſtituerimus verum eſſe, falſum reperitur. l. 88. pr. D. ad L. Falcid.* eodemque referri debet vitium rei, quæ tanta obſcuritate involuta eſt, ut *nullam ſui ad eruendum præbeat copiam. l. 2. §. 16. C. de V. I. E.* Præter hæc, maximè veræ interpretationi officit præoccupatus interpretis animus, & obrutus authoritate præſertim aliorum intellectus; cui ſe graviter opponit *Imperator*, cum *Antecesſſores* ſuos monet, *ne ex multitudine auctorum, quod melius aut æquius eſt, judicarent, cum poſſit unius, forſitan & deterioris ſententia, & multas & majores in aliqua parte ſuperare. l. 1. §. 6. C. de V. I. E.* moles commentariorum nimia, quorum *verboſitas non poteſt quin legibus ex confuſione dedecus afferat. l. 2. §. 21. l. 3. §. 21. C. de V. I. E.* Immodicum ſtudium ſubtilitatis: Unde *C. Lucilius homo doctus & perurbanus dicere ſolebat: ea, quæ ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe, quam ipſe de ſe. ap. Cic. 2. de Orat. 6.* Vnde plerumque provenit captioſa & malitioſa acceptio atque cavillatio & circumventio legis. *l. 30. D. de L.L. l. pen. D. ad exhib. l. 126. §. 2. D. de V. O. l. ult. C. de L.L.*

ruptus : ex quo genere *Tubero*, qui *doctiſſimus* quidem *habitus eſt Iuris publici & privati*, quia tamen *ſermone antiquo uſus, affectavit ſcribere, ideò parum libri ejus grati habebantur. l. 2. §. 46. D. de O. I. Vſum* interpretationis intervertit interpretatio ad injuriam aliorum comparata; de qua nota extat querela apud *Tacit.* 3. *Ann.* 25. 2. *Multitudo periclitantium gliſcebat, cum omnes domus, delatorum interpretationibus ſubverterentur.* In *Vniverſum* denique interpretationem rectam impediunt *oculi conniventes* interpretis. *l.* 2. *§.* 11. *C. de V. I. E.* pectus nullis bonis artibus præparatum & *illotæ manus. l.* 1. *D. de O. I.* quæque præſertim ſeculum noſtrum invaſit, ingens ſecuritas, obſcuriſſima quæque pro apertis habens : ad quam accedit ſuave ſomnium, quo ſibi plerique perſuadent, nullam ulterius lucem poſſe Jurisprudentiæ noſtræ accedere; immemores illius, quod etiam à JCtis noſtris dici ſolet : *omne artificium recipere incrementum. l.* 65. *§.* 3. *D. de leg.* 3.

Affinia. XLIV. AFFINIS interpretationi juris obſcuri, eſt extenſio & coarctatio juris, cæteriquc modi quibus Jus etiam apertum illuſtratur : de quibus quantum ſatis erat, ab initio hujus diſſertationis, nobis dictum eſt.

GENERIS

GENERIS NOBILITATE
ET VIRTVTIS DOCTRINÆQVE
STVDIO PRÆCELLENTIS

DN. STALBVRGERI

HOSPITIS ET AMICI
HONORATISSIMI

SPECIMEN ACADEMICVM
JVRIDICVM

BONO OMINE PROSEQVITVR

Jo. Henr. Boeclervs,

COLLEGII PHILOS. H. T.
DECANVS.

NObilitas antiqua domus, ab vtroq; parente,
Ac inter Patria nomina clara patres,
Magna equidem Tibi ſunt inſtigamenta laborum,
Vt metam attingas non ſine laude tuam,
Hortaturq; Deus, ſtudijs qui præbuit amplè

OBſcuri monſtrat tua Diſſertatio *Juris*
Diſcutier *nebulæ* qua ratione queant:
Ergo tuos auſus ſummus DEVS ipſe ſecundet,
Detque labore tuo præmia digna Themis!

Votum
Gothofredi Stöſſeri V. J. Doct. &
Pand. Prof. Ord.

OPtimus interpres verborum quiſque ſuorum;
Peſſimus Alterius: ratio tamen optima monſtrat,
Id, quod verba ſonant communiter, eſſe locutum.
Vox index animi. Tu pleniùs omnia tractas
STALBVRGERE probumque doces in Legibus uſum.

Proni affectus
erga
Nobiliſſ. DN. DISPVTANTEM
teſtandi causâ
f.
Gerardus von Stöſſen *V. J. D. &*
Inſtit. Imperial. P. P.

PArca Tibi parcat; ſtudijs adſpiret Apollo;
Et tandem applaudat Patria, corde precor!

Generoſo DN. DISPVTANTI
Cognato colendo
Johannes Philippus à Stetten,
MFr.